

C. MACCHABÆUS
IN NUPT. O.
MAURITII.









THALAMVS
OLAI MAVRITII, DOMINI DE BOLLERVP, SENATORIS REGNI Daniæ, & præsidis Arcis Helsingborgensis: Et pudicissimæ virginis Annæ Hardenbergæ, genere & virtute nobilium.

C: MACHABÆO A:
Authore.

HAFNIAE
EXCVDEBAT
Matthias Vinitor.
ANNO
1573.

Chanaitus Ambrosij Suo Chatholmio dd.

THALAMVS OLAI MAVRITII, DOMINI DE BOLLERVP, SENATORIS REGNI DANIÆ, ET PRÆsidis Arcis Helsinborgensis: Et pudicißimæ virginis Annæ Hardenbergæ, genere & virtute nobilium.

C: MACHABÆO A: AVTHORE.

INdue purpureos vultus Cytheræa pudoris,
Cordis & ingenuos casta reclude sinus.
Non hic furtiuis iunguntur fœdera tædis,
Nullus in his facibus Biblidis ardor inest.
Nec furor illicitus Mirrhæ, nec adultera feruet
Flamma, nec absurdus viscera torquet amor.
Hinc procul incæstus fugiant & fæda libido,
Et fucata dolis deliciosa venus.
Namq; Deus castis iungens duo pectora vinclis,
Vno consociat corpora bina thoro.
At thalamos dum turba parat numerosa nitentes
Nympharum, Venerj turba dicata Deæ:
Parua

Parua quidem ſed grata thorum tibi ſponſe ſubornat,
Ne minus officij ſit mea Muſa memor.
Candidus eſt ſummis animi penetralibus hærens
Nullius artificis ſtructus ab arte thorus.
Aurea circumdant fulgentes nulla columnas
Tegmina, ſolertj vermiculata manu.
Sculptus vt in Danaen cecidit non cernitur imber,
Nec cauto Thyſbes ianua laxa pede.
Non antrum videas furijs flagrantis Elyſæ,
Fabula non habet hic luxurioſa locum.
Qualis erat primi thalamus cum coniuge patris,
Mundus vt a cuncto crimine purus erat,
Herba cibus tenuis, Cytiſiq́ cubilia molles,
Et patulæ rami tecta fuêre domus.
His tamen in rudibus ſparſit diuina theatris
Lumina, cœleſtem noticiamq́ Deus:
Et fontem generis noſtri ſic iunxit, vt vna
Sit caro, ſitq́ domus, pectus, amorq́, thorus.
Hinc hominum fœcunda nimis deducta propago,
Impleuit Solis quæ generoſa vias.
Hinc ſacra Stirps orta eſt, in qua ſapientia fulget,
Per verbum ſummi notificata Dei.
Ergo leues mundi faſtus, operoſaq́ quærant
Ornamenta alij, luxuriemq́ gulæ,
Quos mundi delectat iners molliſq́ libido,
Atq́ nihil præter gaudia carnis amant.

Sponse tibi placeat primorum sancta parentum
Simplicitas, tenuis sed sine felle thorus.
Hoc siquidem viuit genialis casta voluptas,
Candor & integritas & socialis amor.
Quatuor insistit subiectis, ille columnis,
Quæ tantum exiguo picta decore nitent:
At si sinceræ perlustres commoda mentis,
Non quicq̃ toto pulchrius orbe latet.
Prima tenet dextrum PIETAS clarissima cornu,
Molis & adiunctæ sustinet acer onus.
Nullius auspicijs succedunt facta secundis,
Ni pietas finem principiumq; regat.
Hæc facienda monet nobis quæ numina mandant,
Quæ prohibent nobis, hæc fugienda docet.
Suadet vt a summo poscant exordia Christo,
Hunc homines vitæ constituantq; scopum.
I decus I fœlix thalamos conscende petitos,
Sponse tibi pietas nam parat alma faces.
Non tibi coniugium suasit furibunda voluptas
Cordaq; nec fœdis ignibus vsta geris.
Sed quia connubij firmantur numine leges,
Et natura thorj vincula casta probat:
Legibus vt subsis & menti recta monenti,
Legitimis subdis corda pudica iugis.
Sic eat, & cæptam pietas diuina palestram,
Et fine & cursu prosperiore beet.

At

At latus obiectum sustentat pyramis alta,
Pectoris ingenui consocialis AMOR:
Quem generat virtus formoso corpore clausa,
Sanguis & a primis exoriundus auis.
Nil valeant animum torquentia philtra salacem,
Cholchidis & sæua facta venena manu,
Et feruens Eruca, piper cum semine mixtum
Vrticæ, & pineæ, Bulbus, & oua, nuces.
Hæc animos hominum lædunt, penetrantq́; medullas,
Et rabido exagitant pectora cæca face:
In Venerem ceu bruta ruunt stimulata furore,
Frenari nulla qui ratione potest.
At sincerus amor virtutis semine natus,
Mansueto motu corda ferire solet:
Et leni geminas perstringit vulnere mentes,
Scilicet hoc læsis vulnere vita datur.
Vmbrosa veluti vitis dum pendet ab vlmo,
Iuncta simul viuunt, dissociata rigent:
Redditur haud aliter communis vita duobus
Et mors, est quorum nexa in amore fides.
I decus I thalamos nympharum gloria structos
Ingredere, & sponsi nobilis Anna sinus.

Tertia quæ gestat molem speciosa columna,
A CASTO AFFECTV nomina cordis habet.

 Lucifer

OLAI MAVR: ET ANNÆ.

Lucifer Eois rediens non ſplendet ab vndis
Clarius, aut medio Sol ſine nube die.
Quam nullis contorta fides ambagibus, & quæ
Gaudet ſincera ſimplicitate coli.
Abſentem ſequitur, preſentem amplectitur vlnis
Et manet in cunctis fida tenaxq; locis.
Sic licet extremum mundi peragrabat vlyßes
Penelopes caſto pectore clauſus erat:
Cedere nec potuit flammis turbæue procorum
Sincero infixus corde maritus amor.
Sponſe thoros intres vbi regnat candidus ardor,
Atq; fides nullis contemerata dolis.

Succedit quartum thalami CONCORDIA *fulchrum,*
Cætera quæ nexu ſola ligata tenet.
Hæc mentes reddit conformes, vna voluntas
Amborum vt nutu ſingula facta regat.
Hac ſine nec raucæ cornices viuere poßunt,
Nec fera ſyluoſis abdita bruta locis.
Quid quod & augentur concordi commoda mente,
Et bona diſcordi, magna perire ſolent.
Ergo velut thalamo ſponſus ſuccedit eodem
Sponſæ, iungantur ſic in amore pares:
Et breuis vt ſtudio concordi tempora vitæ
Menteq; conficiant officÿſq; precor.

Splendidus

HARDENB: THALAMVS.

Splendidus hic tenui vestitur tegmine lectus,
Quod tamen ingenuo molle pudore nitet.
Non licet obscœnis fœdare iugalia tædis
Vincula, concubitu nec scelerare vago.
Turpe Deam nudo commixtam corpore Marti,
Lasciuo nexu membra videnda dare.
Quid facerent homines patrant cum turpia diuj?
O pereat talis sordida turba Deum.

Strata vides plumis non emollita tenellis,
Quæ patiens animus mollificare solet.
Cum morbiq; truces torquent, crux plurima pectus
Exagitat, superes si tolerare potes.
Hoc strato incumbens aduersæ fata procellæ
Vinces, & fiet lenius omne malum.

Subditur & capiti puluinar molle decensq;,
Hic siquidem remanet pectoris alta quies.
Atrides quondam furtiuo vulnere cæsus
Hoc caruit, redyt victor vt ille domum.
Nam dum sperabat se stringi coniugis vlnis,
Carnificis sæuas sensit adesse manus.

Quid cælo exoriens fœcundo copia cornu,
Et circum vigilum sancta corona notat?
Ambit legitimam summi benedictio vitam
Numinis, Angelica statq; recincta manu.

Hanc

OLAI MAV: ET ANNÆ HARD:

Hanc licet infestet Sathanas minitantibus armis,
Laxet & in castos tela cruenta thoros:
Attamen vt floret generosis vinea botris,
Sic Gens ex iusto semine nata viget:
Quam tandem cœlis transfert, & postea reddit,
Sordibus ablatis viuida membra Deus.

Auspice diuino cum sancis numine fœdus,
Intras & vitæ nobile Sponse genus:
Successu nunq̃ fœlici cæpta carebunt,
Terminus & sancto fine beatus erit.

Anno Dominj M: D. LXXIII.
Ianuarij XI.